

quamdam consequentiam, & per modum accessionis transit jus reale, non tamen jus personale patronatus. *c. 7. b. t. l. 8. tit. 15. p. 1. Saar. lib. 4. de Simon. cap. 28. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 16.* Sed illud Castrum, vel Villa ratione annexi patronatus nequit pluris vendi, quam si non haberet annexum patronatum: nec obest, quod venditor dicat: *Vendo tibi Castrum cum jure patronatus, vel Castrum, & jus patronatus*, si nullum pretium pro patronatu recipiatur: nam magis substantiam rerum, quam verborum scrupulosam formam inspicimus. Deinde, etiam patronatus transferri valet ex Pontificis privilegio ob supremam potestatem, quam hic in beneficia obtinet. *c. 2. de Prebend. in 6. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* Etiam præscriptione acquiritur patronatus: & quidem si Laicus præscribat, possessio requiritur immemorialis. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* si tamen Ecclesiasticus præscribat patronatum in Ecclesia antea libera, si titulo quidem caret, indiget possessione immemoriali: si titulo muniatur, quadragenaria requiritur præscriptio: quod si Ecclesia jam erat patronata, & Ecclesiasticus advertus Ecclesiasticum præscribat, iridem quadragenaria præscriptio requiritur: advertus Laicum tamen, si præsens sit, sufficit decem annorum præscriptio, titulo munita. Si absens sit, viginti annorum præscriptio necessaria est: quod si Ecclesiasticus præscribens titulo careat, triginta indiget annis. Sic *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 70. & alij.*

342 Cum beneficia Ecclesiastica in dubio collativa præsumantur, patronus ad aliquod beneficium præsentare intendens, probare debet, beneficium patronatum esse: & sanè Magnates, & Universitates, in quibus hujusmodi juris usurpatio facile præsumitur, si velint jus patronatus probare, & non per scripturam authenticam, sed tempore immemorabili allegato: non aliter eorum probatio admittitur, quando alius intendit tale beneficium esse liberum, (secus si alter, etiam patronatum intendat) quam si præter reliqua ad temporis immemorabilis probationem necessaria, præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatium, quæ omnes effectum sortita sint, authenticis scripturis probentur. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* Particulares tamen possunt patronatum probare instrumentis authenticis, præscriptione quadragenaria cum titulo, vel immemorabili sine titulo. *c. 1. de Præscript. in 6.* vel per famam cum alijs admi-

niculis, vel ex præsentationibus continuatis, saltem tribus: vel si Episcopus fateatur, alicui patronatum competere. Etiam probatur ex monumentis antiquis: v. g. si insignia familiae alicui Ecclesie, vel Capellæ sint affixa: vel etiam ex loco honorationis patronis concedi solito: & alijs hujusmodi. Judex tamen, attentis circumstantijs, arbitrabitur, quantam vim hæc probationes habeant ad probandum. *Lambert. de Jur. Patron. lib. 3. q. 5. art. 4. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 91. Barbos. de Potest. Episc. alleg. 72. ex n. 50.* Si authenticæ scripturæ sint deperditæ, potest fieri probatio per testes, etiam respectu præsentationum à Magnatibus factarum; *arg. c. 12. de Privileg. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 113.* Si quæstio juris circa patronatum moveatur, cum hoc jus sit spirituale, vel spiritualibus annexum, solum de eo Ecclesiasticus Judex cognoscit. *c. 3. de Judic.* Si quæstio sit meri facti, posse etiam Saecularem Judicem cognoscere, tenent plures, ut pluries reperitum est, & praxi celebriorum Curiarum Europæ comprobatum invenitur.

343 Pontifex abs dubio potest cuicumque patronatu derogare: cum enim hoc jus ex ejus procedat concessione, contra ejusdem nequit consistere voluntatem. Ut tamen licite derogetur, causa justa respiciens Ecclesie utilitatem est necessaria. Et licet in clausula generali, qua Pontifex sibi omnia beneficia reservat, derogatum censetur patronatu Ecclesiastico; non tamen Laico, vel mixto: nisi de his expressa fiat mentio, nisi forte jus patronatus, quod nunc est Laicum, ex privilegio, vel consuetudine, fuisse Ecclesiasticum in sua origine: quia magis requiritur ad derogationem privilegij onerosi, ut est concessio patronatus Laicis, quam ad derogationem privilegij gratiosi, quale est concessio patronatus Ecclesiastici. Si Principi competat patronatus, in derogatione requiritur ejus mentio specialis, nec nomine generali patronatus Laicis comprehenditur: siquidem jus Principum, cum de Ecclesia benemeriti sint, fortius abs dubio est. *Gonz. ad Reg. 8. Cancel. Gloss. 18. Covarr. Pract. qq. cap. 36. & alij.* Legatus à latere potest beneficia patronatus Ecclesiastici sibi reservare, derogando patronatu Ecclesiastico: secus beneficia patronatus Laicis, vel mixti. Siquidem ipsi nequit derogare. *c. 28. b. t. nisi forte patronatus Laicis non ex fundatione, donatione, vel constructione, sed tantum ex privilegio sit.* *Barbos. in c. 28. b. t. n. 3.*

Sanct.

Sanct. in Decal. lib. 7. cap. 29. ex n. 169. Sed jam omnes reservationes cuicumque beneficii prohibita sunt. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 19.* Episcopus nequit jure patronatus derogare: sed omnino tenetur instituire præsentatum à patrono: alias institutio erit irrita. *c. 32. 16. q. 7. c. 8. c. 14. b. t.* Nec potest beneficium, vel Ecclesiam patronatam non patronatæ urire sine patroni consensu, quia tunc amitteret patronus jus præsentandi. *c. 20. b. t.* nec item potest qualitates, seu conditiones in fundatione beneficii appositas, etiam de consensu successoris patroni mutare. *Cl. 2. de Religios. domib. potest tamen per Episcopiam voluntatem successoris fundatoris interpretari, ut contra Garciam tenent Laym. & alij.* Patronatus amittitur varijs modis: scilicet, si patronus fiat hæreticus, apostata, schismaticus, vel fautor hæreticorum. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 13. n. 260.* vel si committat crimen lætæ Majestatis, vel aliud ob quod bona patronata confiscentur, vel si vendat simoniacè patronatum. *c. 6. b. t. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 19.* vel si illicitè fructus beneficii percipiat, vel si temerè ejus bona usurpet: vel si per se, vel per alium occidat Rectorem Ecclesie patronatæ. *c. 12. de Pœnis*, quod habet locum, saltem post sententiam declaratoriam. *Barbos. in cap. 12. de Pœnis, num. 3.* Etiam sine patroni delicto patronatus amittitur: si scilicet Papa supprimat patronatum, vel si patronus expressè, vel tacitè cedat juri præsentandi in favorem Ecclesie; ita ut hæc libera remaneat à tali jure. *c. un. h. t. in 6.* vel si Ecclesia patronata uniatæ de consensu patroni, & sine hujus juris reservatione, Ecclesie non patronata. *c. 8. de Constit.* vel si patronus non utatur longo tempore jure præsentandi, ita ut saltem bis sit institutus Rector sine patroni præsentatione: vel si Ecclesia totalitè destruat, vel ejus dos pereat: vel si extinguatur familia, pro qua fuit patronatus constitutus. Denique licet oportet: quod nostræ Potentissimi Hispaniæ Reges habent patronatum omnium Cathedralium Hispaniæ, & aliorum Regnorum ipsi adjacentium in Europa, & Africa: ac proinde præsentant R. Pontifici omnes Archiepiscopos, & Episcopos ad prædictas Ecclesias eligendos, vel confirmandos. Etiam habent patronatum, & præsentant ad Abbatis, & Prælatas Residentiales, Præterea in Regno Granatenfi habent patronatum omnium omnino beneficiorum omnium Ecclesiarum. *Bobad. Polit. lib. 2. cap. 18. n. 221.* In Indijs ha-

Tom. I.

bent patronatum omnium Cathedralium, & aliarum quarumcumque Ecclesiarum novi Orbis, & Philippinarum. Et hic patronatus est undequaque latissimus; & profundissimus: siquidem nostri Reges non solum præsentant Archiepiscopos, Episcopos, Dignitates, Canonicos, Parochos, Beneficiatos, & Capellanos, sed etiam cognoscunt de pluribus causis, quæ ad patronatum reducuntur. Et sine nostrorum Regum licentia nulla Ecclesia erigi potest: habentque consequenter generalem protectionem omnium Ecclesiarum novi Orbis. Qui plura de hoc velit, videat. *Tit. 6. lib. 1. R. C. & ibid. Acced. tit. 6. lib. 1. R. Ind. Solorz. Villaroel. Bobadill. Ceval. Salgado. & præcipuè D. Petrum Præsto, quæ duos integros tomos habet de Regio Patronatu Indiarum.*

TIT. XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procuracionibus.

344 **A**GIT præsens Rubrica, & Nos ejus ordinem sequendo agemus, de Censibus, Exactionibus, & Procuracionibus. Censibus igitur à verbo censuo dictus, significat estimationem patrimonij, & matriculam universorum civium, qui tam Romæ, quam in Provincijs debebant. Hispani: *Padron*, ò *encabezamiento*. Aliquando etiam census significat id, quod præstatur quotannis in certa summa, & quantitate, & sic comprehendit tributum. *L. 3. ff. de Censibus* sic apud Joannem legitimus, *tributum dare Cesari*, quod apud Matthæum dicitur: *Censum dare Cesari*. Aliquando, etiam ipsum patrimonium, & opes significat juxta illud: *Dat census honores, census amicitias, pauper ubique jacet*. Aliquando sumitur pro pensione, quæ pro contractu: qui census dicitur, solvitur. Etiam significat pensionem, seu canonem, quem præstat emphyteuta Domino directo in domini recognitionem. Etiam significat contractum, quo res alicui pleno jure conceditur, ita ut solum reservetur concedenti talem censum, aliqua pensio annua persolvenda ipsi in recognitionem domini, translato tamen in accipientem directo, & utili dominio. Et in hoc sensu loquuntur *Text. in c. 1. de in Integr. rest. c. 6. de Religios. domib.* & dicitur *census reservatus*,

liii 2

de

de cuius justificatione nullus movet scrupulum. Demum sumitur, & quidem frequentissimè pro contractu, quo quis emit jus percipiendi ab alio pensionem aliquam ad certum terminum solvendam, & illum censum consignatum nuncupamus. Hispani: *Juros*, & *Censos*. Qui vendunt jus percipiendi, venditores, & censuarij appellantur, qui verò tale jus emunt emptores, & censualiste dicuntur. Talis igitur contractus non continet mutuum, nec usuræ iniquitate conquinatur; continet namque præcisè emptionem, & venditionem: nam emitur, non quidem pensio, sed jus pensionem percipiendi, quod cum longè minus pensione valeat, minoris emitur, quamvis pretium post aliquos annos longè superet pretium rei, in qua census fundatur. Potestque talis census constitui super aliqua re utili, & fructifera, ex cuius utilitate pensio extrahatur: v. g. super fundo, vel domo. Et census taliter illi rei inhaeret, ut cum ea ad quemcumque ejus possessorem transeat: seu quod idem est: res censui subiecta cum tali onere ad quemcumque possessorem transit. Potest itidem census constitui super persona, qua quidem sua opera, & industria utilis sit, & fructum aliquem afferat, unde pensio extrahi valeat. Et quidem aliquando census est *vitalitius*, ita ut tantum duret, dum vivit emptor. Et cum mortis tempus adeo incertum sit, hic contractus licitus est, & ad fortem potest reduci, cum ex parte utriusque contrahentis aequale imminet periculum. Aliquando census *perpetuus* est, quando scilicet, nullum tempus in ejus constitutione determinatur, ad ejus extinctionem. Insuper census est *irredimibilis*, & *redimibilis*. *Irredimibilis* erit, quando nequit venditor illum pro suo arbitrio, & libitu redimere. *Redimibilis* è contra erit, quando venditor illum redimere valet, reddendo scilicet emptori eandem summam, quam in ejus accepit constitutione, tamquam ipsius pretium. *Utrumque redimibilis* est, quando tam venditor, quam emptor illum potest redimere. Et valet proculdubio addi pactum, quod census non redimatur per partes, sed totus simul, & non aliter; item, quod non possit redimi, nisi in eadem præcisè moneta, qua data est, sive valor crescat, sive decrescat, dummodo aequale utrumque periculum adsit. Item potest addi pactum commissorium, scilicet, quod res in censum data, cadat in commissum, seu fiat ejus, qui censum emit, si pensio intra certos annos non solvatur. Si res in

censum data in totum, vel ex parte pereat, vel in perpetuum reddatur infructuosa, non debetur pensio, vel prorata deteriorationis minuenda est, cum contrahente re, debeat jus illi inhaerens etiam contruere. Si verò uno, vel altero anno res non ferat fructum, adhuc pensio debetur, potest etiam censui pactum assiduationis adjici, ut si res censui subiecta pereat, id fiat venditoris damno, sitque obligatus, vel censum continuere super alijs bonis, vel eodem pretio, restituta forte redimere: hoc tamen pactum debet compensari venditori augendo pretium census, vel quod idem est, designando minorem pro censu pensionem. Etiam potest adjici pactum rescissorium, ut scilicet, venditor teneatur emptori, rescisso contractu, totum pretium restituere, si intra certos annos non solvat pensionem. Omnium horum ratio est, quia contractus ex partium conventionem, qua contra jus non sit, Legem accipiunt. Interim tamen notandum est, quod census redimibilis ex parte emptoris in foro externo uturarius censetur, ac proinde prohibitus est à *Martino V. & Calixto III.* Ut igitur contractus census iustus sit, debet in eo servari pretium à consuetudine, vel Lege statutum. In nostra Hispania pro pretio iusto census designando sic decernit *Lex. 12. tit. 15. lib. 5. R. C. No se pueda imponer, ni constituir, ni fundar de nuevo juros, ni censos al quitar à menos precio de veinte mil maravedís el millar; y los de por una vida, à razon de diez mil maravedís el millar; y los de por dos vidas, à doce mil maravedís el millar; y que los tratos de juros, y censos, que en otra manera se hicieren, sean en sí ningunos.* Et quamquam variae Constitutiones à Summis Pontificibus, & præcipue à *S. Pio V.* sint editæ, in quibus conditiones variae assignantur ad census constitutionem, in nostra tamen Hispania sufficit, quod census habeat quiddam de Jure Naturali ad ejus justificationem esse necessarium, videlicet. 1. quod constituitur in re frugifera. 2. quod res subiecta censui non alienetur, ita, ut fiat præjudicium Censualistæ, vel emptori. 3. quod preunte re, census perire censetur. 4. quod regulariter non possint peri solutio anticipata. 5. & præcipue, quod census iusto pretio constituatur: quod probatur *L. 10. tit. 15. lib. 5. R. C. ibi: Declaramos, que el proprio motu sobre los censos se impongan, y sitien con dineros de presente, no es à recibido en estos Reynos, antes se ha suplicado de él por el Fiscal del Consejo,*

sejo, donde se ha hecho justicia en los casos que se han ofrecido, y se hará adelante, y con su Santidad la instancia, que pareciere necesaria. Ita com. DD. qui plura velit addeat *Felicianum, Solis, Avendaño, & alios*, qui velis expansis de censibus egerunt. Interim tamen nos à non impertinenti diverticulo redeamus ad viam.

345 In præsentis equidem census est *onus reale, vel pensio annua, qua ex proventibus Ecclesia, Monasterij, vel Beneficij Ecclesiastici solvitur Prælati, vel Superioribus in subjectionis recognitionem, vel ex alia iusta causa. c. 8. de Privileg. c. 6. de Religios. domib. L. 8. tit. 22. p. 1.* Et quidem si census fuit solutus tempore immortali tamquam debitus, & non præcisè tamquam voluntaria præstatio cum protestatione, non est necessè alium titulum, vel causam legitimam allegare ad censum petendum, præter ipsam temporis diuturnitatem. *Arg. L. 3. §. 4. ff. de Aqua quodid. l. 12. tit. 22. p. 1.* Si non tanto tempore sit solutus ad eum petendum causa præstationis alleganda, & insuper probanda est. *Arg. c. 5. b. t. L. 12. tit. 22. p. 1.* possessor tamen etiam si ignoret titulum census, si probet sibi longo tempore census esse solutum, est manutenendus in sua possessione. *L. 12. tit. 22. p. 1.* Et si ea spoliatur, est ante omnia restituendus. *Arg. c. fin. de Ordin. cognit.* Et quidem non solum, quando census est realis, sed etiam quando obligatio eum præstandi est personalis. *Arg. c. 24. de Election. Gonz. in c. 5. b. t. cum alijs.* Si tamen census ex liberalitate, non verò ex obligatione præstabitur, etiam si longo tempore fuisset præstitus, non potest, qui illum præstabat cogi illi in posterum solvere. Nam sicut liberè concedebatur, liberè negari valet, cum ea quæ sunt meræ liberalitatis, & facultatis numquam præscribantur. *L. 12. tit. 22. p. 1.* Et sanè cum census solvi possit, vel in signum fundationis, si reservatus fuisset à patrono, vel in signum exemptionis, quam Episcopus concessit Ecclesia respectu aliorum servitorum. *L. 8. tit. 22. p. 1.* Hinc solum ex ejus præstatione probabitur subjectione Ecclesia solventis censum, si in solutione exprimitur, eam vi subjectionis fieri, vel si ex circumstantijs hoc appareat: & cum hac limitatione intelligendus est *Text. in c. 2. b. t.* Deinde census solvendus est in specie monetae, de qua convenitur, etiam si ejus valor tempore solutionis auctus, vel diminutus sit. *Arg. L. 99. ff. de Solution.* Nam contractus ex

conventionem partium Legem accipiunt. *L. 23. ff. de Regul. jur. c. 85. eod. n. 6. Gonz. in c. 26. b. t. n. 5. Molin. & alij.* Si tamen bona fide præscriptum sit in alia moneta solvere, vel si major quantitas census in moneta conventa sit soluta, & unus, vel alter numerus ejusdem rationis deest, vel si ea species monetae difficile possit haberi, & alterius præstatio nullum incommodum inferi creditori; vel si jam sit autoritate publica reprobata illa moneta; vel si forte jam omnino perijt: in his enim casibus potest census in alia moneta ejusdem æstimationis solvi. Quando absque certa specie, & numeri designatione est in pactum deducta certa quantitas pecunie: v. g. centum aurei, quorum singuli valent quatuor argenteos, si postea valor extrinsecus mutetur, quia singuli aurei tres, vel quinque argenteos valeant; commodo, vel damno debitoris id contingit, cui quidem augmentum, vel detrimentum monetae accrescit, vel decrescit. *Soto de Just. & jur. lib. 6. q. 1. art. 2. & q. 12. art. 1. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 312. & alij contra Covar. Azor de Instit. p. 3. lib. 10. cap. 7. q. 2. & alios*, qui tenent augmentum, vel decrementum esse creditoris. Quando absque designatione certa speciei, nec numeri, certa quantitas, v. g. centum aurei debentur: si ejus valor intrinsecus mutetur in melius, vel deterius ob puritatem, vel impuritatem metalli, solutio facienda est in moneta corrente, & secundum ejus præsentem valorem: & id præcipiunt Principes, quando ob justas causas valorem monetae mutant: ac proinde huic bono publico cedere debet damnum hujus, vel alterius privati: nec enim pecunia tam ex materia, quam ex valore, publica autoritate imposita, æstimatur. *L. 1. ff. de Contrah. empt. Gonz. in c. 26. b. t. n. 6. Menoch. & alij contra Layman lib. 3. tr. 3. p. 1. cap. 5. n. 19. Covar. & alios.* Sed cum ex mutatione valoris monetae gravissima sequantur incommoda: siquidem talis mutatio magnopere perturbat commercia, alijsque feneratorum fraudibus occasionem præbet, est consequenter necessaria causa gravis, & urgens Reipublicæ bonum respiciens, ut talis mutatio fiat: & potius debet fieri mutatio in valore extrinsecò, quam in intrinsecò monetae: & solum à Principe, vel Republica non recognoscente Superiori fieri valet. *L. 1. l. 2. C. de Fals. monet. Covar. de Collat. vet. num. cap. 7. n. 6. & alij com.* Qui aliquam summam in moneta aurea, vel argen-

argentea recepti, potest utique in alia moneta: v. g. arofa ejusdem tamen valoris solvere. Nam in moneta non tam materia, quam pretium attenditur. *L. 1. §. 1. ff. de Auro, & Argent. nisi aliter sit pacto conventum, cui profectò standum est. L. 23. ff. de Reg. jur. Gutier. lib. 2. Praef. qq. 179. n. 1. Gonz. in c. 26. b. t. n. 5. & alij. Qui ex voto, vel legato debet aliquam, non tamen determinatam mensuram, v. g. tritici, si ex circumstantijs, vel loci consuetudine, non colligatur de qua mensura debitor locutus fuit, satisfacit, minimam solvendo c. 18. b. t. l. 50. §. fin. ff. de legat. 1. quia in obscuris minimum est sequendum. c. 30. de Reg. jur. in 6. l. 9. ff. eod. & sic pro mensura, in qua votum Divo Jacobo Hispania Patrono solvendum erat, decimium est in c. 18. b. t. ubi late historiam, & causam voti refert ea eruditione, qua assolet Doctor D. Emman. Gonzalez Tellez, nostri Conchenfis Collegij non peritum decus.*

346 Censum Ecclesijs, vel beneficijs Ecclesiasticis imponere possunt. 1. Patroni de consensu Episcopi, in limine namque fundationis ipsi sibi censum reservare possunt. c. 23. de Jur. Patronat. c. 24. de Election. post constitutionem tamen beneficii nequit novus census imponi, nec antiquus augeri. c. 7. c. 15. b. t. etiam juramento, vel fidejussione accedente, cum accessorium sequatur principale. 2. Episcopus censum imponere potest, quando aliquam Ecclesiam à sua eximit jurisdictione. c. 21. b. t. c. 6. de Religios. domib. L. 9. tit. 22. p. 1. quando tamen eam eripit à Laicorum manibus, nequit censum imponere. c. 9. h. t. in fundatione, vel dotatione Ecclesie potest Episcopus pensionem reservare patrono, c. 23. de Jur. Patronat. vel alteri. c. 16. b. t. imò & sibi c. 7. b. t. vel etiam quando Ecclesiam dedicat, vel consecrat. c. 30. 18. q. 2. vel quando de suorum Capitularium consensu pijs locis Ecclesias concedit. c. 9. de his, que sunt à Prælat. nequit tamen beneficijs, vel Ecclesijs, postquam jam constituta sunt, novus census imponi, nec antiquus augeri, nisi talis pensio alijs, non sibi sit obventura, & quidem de consensu Capituli, & justa causa, v. g. pro necessitate Cathedralis, vel Seminarij. c. 3. c. 7. c. 13. b. t. L. 11. tit. 22. p. 1. 3. Prælati, qui jure pleno habent Ecclesiam sibi subiectam, ipsi censum imponere possunt. c. 23. de Jur. Patronat. L. 9. tit. 22. p. 1. Alij Ecclesiarum Rectores, licet possint se personaliter obligare ad census solutio-

nem, non tamen possunt Ecclesias censuales facere, præcipue post suum decessum. c. 5. de Transactio. l. 9. tit. 22. p. 1. Qui tamen Ecclesiam per collusionem judicalem, vel extrajudicalem facit censualem, ea privatur. c. 11. b. t. ut tamen possint beneficiati super rebus sui beneficii censum perpetuum constituere, cum sit species alienationis, ultra justam causam requiritur consensus Episcopi. c. 8. b. t. idem dicendum est de pensione augenda. c. 7. eod. nec pensio Ecclesie augetur, etiam si ejus facultates augeantur. 4. & præcipue, Pontifex in signum exemptionis alicujus Ecclesie ab alijs Superioribus, & immediatæ subjectionis Sedi Apostolicæ, vel etiam in signum protectionis specialis, censum tali Ecclesie imponere potest. c. 8. de Privileg. l. 8. tit. 22. p. 1. quin, & potest concedere Principibus Sæcularibus facultatem recipiendi aliquam exactionem ab Ecclesijs. Sic nostri Potentissimi Reges ab Ecclesijs suscipiunt exactiones, quas dicimus *subsidijs*, & *escusado*.

347 Exactio, de qua in secunda Rubricæ parte, est contributio, vel collecta pecuniaria, quæ alicui solvitur. Tales sunt in Jure nostro portio Canonica Episcopalis, & Parochialis, & quarta decimarum, de quibus jam dictum est: nunc ergo de alijs agendum restat. Ecclesie ætænum, & Capellæ Sæculares tenentur Episcopo præstare singulis annis duos solidos. c. 16. de Offic. Ordinar. vel plus, vel minus prout consuetudine sit taxatum: quod quidem præstatur in subjectionis signum, & Cathedræ honorem, & hinc dicitur *Cathedraticum*, & quia in Synodis solebat præstari, etiam *Synodalicum* appellatur. Et licet non possit absolute tolli præscriptione hoc jus, manente subjectione, sicut nec tributum potest præscribi. L. 6. C. de Præscript. trigint. nec item præscribi valet procuratio, quæ à visitato solvitur visitanti. c. 11. c. 16. de Præscriptio. potest tamen hujusmodi jus diminui; arg. c. 20. b. t. Hoc tamen Cathedraticum non tenentur solvere Monasteria, nec Ecclesie Regulares, quia hoc pertinet ad Legem Diocesanam Episcopi à qua Regulares exempti sunt. Alia est *exactio*, & quidem extraordinaria, quæ dicitur *subsidijs* *charitativum*, & solvitur in ea quantitate, quam in qualibet Provincia taxavit legitima consuetudo, vel Prælati, juxta circumstantias necessitatis præsentis, & quantitatis reddituum beneficiorum: appellatur quidem *subsidijs* *charitativum*; quia subditi ex charitate præstare illud Superioribus

debent, & hi similiter potius illud charitate, quam per vim extorquere debent. C. 6. §. 1. b. t. l. 3. tit. 22. p. 1. possunt tamen, necessitate urgente, subditos etiam invitos ad illud præstandum compellere. *Barbos. de Potest. Episcop. alleg. 87. n. 5.* nec aliter potest peti, quam si justa, & manifesta causa adsit v. gr. pro Ecclesie fabrica, vel pro bonis Ecclesie recuperandis, & non tantum semel exigi valet, sed quoties justa causa urgeat; arg. c. 6. b. t. *Barbos. de Potest. Episcop. alleg. 87. ex n. 26.* Summus equidem Pontifex ob ejus Supremam potestatem, potest hoc subsidium ab omnibus Clericis, & Ecclesijs exigere. Item possunt à suis subditis hoc subsidium petere Episcopi, saltem confirmati, licet non sint consecrati, cum hac exactio non ad Ordinem Episcopalem, sed ad ejus jurisdictionem pertineat. Item Capitulum, Sede vacante, Cardinales in suis Ecclesijs, Generales, & perpetui commendatarij Cathedralium, Legatus Papæ in sua Provincia, Præpositi Generales Religionum possunt hujusmodi subsidium à suis subditis petere. E contra tamen illud petere nequeunt Vicarius Episcopi sine speciali mandato, nec Prælati inferiores Episcopo, nisi hoc ex privilegio, vel ex consuetudine habeant, nec Priores, vel Abbates illud valent exigere ab Ecclesijs Sæcularibus, vel Regularibus, quæ ipsis non sunt pleno jure subiectæ. *Barb. de Potest. Episc. alleg. 87.* Hoc igitur subsidium est onus mixtum, quod debetur Episcopo Diocesis à Clericis suis subditis, ratione fructuum ex beneficijs, vel pensionibus, vel Hospitalibus beneficiatis provenientium: Hinc ad illud non tenentur Laici; arg. c. 6. 10. q. 3. c. 16. de Offic. Ordinar. nec Monasteria, quippe exempta sunt à Lege Diocesana, ad quam hujusmodi pertinet exactio: nec item aliæ Ecclesie plene exemptæ, nec Clerici pauperes, nec carentes beneficio Ecclesiastico, licet bonis patrimonialibus abundant. *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 87. ex n. 39.* Si in una Diocesi sita est Ecclesia, vel beneficium, & in altera prædium, debetur subsidium Episcopo Diocesis, ubi est Ecclesia, vel beneficium: Nam ejus est onus, non prædij. Si in confinio duarum Diocesium est Ecclesia, possunt Episcopi utriusque Diocesis alternare in subsidij exactioe; arg. *Cl. 2. de Jur. Patronat.* quod si convenire renuant possunt cogi ut conveniant. *Barb. de Potest. Episcop. alleg. 87. n. 51.* Et quidem licet non currat præscriptio ordinaria contra subsidium charitativum, currit ta-

men immemorialis, quæ una, vel altera Ecclesia potest eximi, sicut etiam potest privilegio ab onere hoc subsidium præstandi, cum non detur in signum subjectionis. Si aliqua lis circa hoc subsidium moveatur inter Episcopum, & Clericos, ne Episcopus sit in causa propria Judex, possunt ipsi litigantes arbitros ad talem causam eligere, vel eam Metropolitanò, vel alijs Superiori Ecclesiastico, non tamen Laico, transmittere decidendam. C. 6. 10. q. 3.

348 Hac occasione non potest omitti aliquid in præsentiarum addere de exactionibus, quas Principes Sæculares imponere solent. Et quidem si de fundis, alijsque immobilibus præstentur, dicuntur *Census*, & *tributum*: Si ex mercibus ecclitatis in Provincia, vel in eam inventis per mare, vel flumina, vel vias, vel pontes dicuntur *vectigalia*, & *portoria*: in nostra Hispania, & præcipue in Indijs dicuntur *Almojarifaz* *agos* de quibus late agitur in *tit. 23. & seq. lib. 9. R. C. tit. 15. lib. 8. R. Ind. l. 25. tit. 9. p. 2.* ibi: *Almojarife es palabra de Arabigo, que quiere tanto decir, como Oficial, que ha à recabdar los derechos de la tierra por el Rey, que se dan por razon de portadgo, è de diezmo, è de censo, è tiendas.* Domus, quo merces deferuntur ad exactioem, & repetitionem vectigalis Hispanie dicuntur *Aduanas* à verbo Arabico *Divanum*, quod significat domum ubi exactioes repetuntur: Huic reducuntur portus sicci, Hispanie: *Puertos secos*, de quibus agitur in *tit. 31. lib. 9. R. C. & tit. 14. lib. 8. R. Ind. videatur Solorzan. Politic. Ind. lib. 6. cap. 10.* Si tales exactioes solvantur de patrimonio, habita ratione ejus quantitatis, dicuntur *Collectæ*, *præstantie*, & *tallia*. Si pro securitate transitus solvantur, vel pro vectura dicuntur *guidagia*, & *pedagia*. Si de rebus venditis, vino, sale, & alijs hujusmodi præstentur, *gavella*, Hispanie: *Alcavalas*, aliquando *Sisas* dicuntur: si imponantur personis, sine respectu ad bona *Capitationes*. Hispanie: *Pechos*, possunt appellari. Omnes tamen hujusmodi exactioes, etiam Capitatio, justè imponuntur, si ita exigat necessitas, vel utilitas Reipublicæ. Et sane quando, & quantum exigat, & non ultra debent imponi; arg. C. 60. de Appellat. Talem siquidem ingerunt necessitatem defensio, & munitio Urbis, Hostium propulsio, reparatio pontium, & viarum; & aliæ causæ hujusmodi; si non adest aliud remedium ordinarium, quia scilicet deest pecunia publici Aëriarj. Ne autem

debet vassalli, & subditi ultra vires suarum facultatum gravari: qua de causa debet inter ipsos proportio Geometrica servari: ita ut si in alicujus partis peculiari commodum exactio cedat: v. g. Mercatorum, his prae alijs ipsa exactio imponatur; *arg. c. 5. de Reg. jur. in 6. de quibus conditionibus pro ampliori notitia consule D. Thom. Doctorem Eximium. Molinam. & alios* late de hoc agentes: Has ergo exactiones solum imponere possunt Supremi Principes, & Respublicae, non recognoscetes Superiorem in temporalibus, & quidem sine consensu Populi, nisi in aliqua Provincia ita conventum, & juratum sit à Principe. *L. 1. tit. 11. lib. 6. R. C. Suar. de Legib. lib. 5. cap. 17. ex n. 3.* Imponere enim tributa ad Principum Regalia spectat, ideo ipsi, & ipsi soli ea imponere valent. Tributum siquidem Principibus est persolvendum pro obligatione, & onere, quo tenentur in pace, quiete, & justitia conservare vassallos, colique tueri, & defendere, ab eos iniuste, & injuste invadentibus. *c. 22. 23. q. 8.* Et quidem ipsi Principes possunt sua tributa exigendi alijs inferioribus concedere. *c. 10. b. t. c. 26. de V. S. L. 10. ff. de Public. & v. c. 1. tit. 11. lib. 6. R. C.* Et cum hoc possit ex privilegio concedi, possunt etiam ex immemoriali consuetudine non solum antiquae exactiones ab inferioribus hac consuetudine fulcitis exigi. *c. 26. de V. S.* sed etiam novae possunt praescriptione acquiri, vel antiquae augeri. *L. 1. tit. 11. lib. 6. R. C.* praescriptio tamen debet esse immemorialis, ut probat *Acced. in d. L. 1. tit. 11. lib. 6. R. C. ex n. 6.* Privati imponentes nova pedagia, seu vectigalia tenentur Legge Julia de ambitu, & de vi publica, quin, & Principes vectigalia nova injuste imponentes excommunicationem incurrunt. *c. 10. b. t.* Et nunc in Bulla Coenae Pontifici reservatam. *Suar. de Censur. D. 21. sect. 2. ex n. 35.* Tributorem tamen Legibus solum tenentur subditi, non exempti, siquidem haec obligatio ex jurisdictione ea imponentes oritur: quae quidem solum subditos non exemptos ligat. Hinc Clerici, & loca Ecclesiastica, cum gaudeant exemptione à jurisdictione Saeculari, etiam Clerici, vel Monachi subditi, & vassalli Principis sunt, non obligantur tributa, & exactiones solvere. *c. 4. b. t. in 6. c. 2. c. 7. de Immunit. Eccles. c. 1. eod. in 6. Trident. sess. 25. de Ref. cap. 20. Auth. Item nulla. C. de Episcop. & Cleric. quod si aliquis particularis à Clericis exigit tributum, vel vectigal excommunicationem;*

si universitas exigit, interdictum ipso facto incurrit. *c. 4. b. t. in 6.* nisi forte huic privilegio derogatum sit à Pontifice quoad aliquas exactiones: tunc enim illae praesertim quidem, & non aliae exigi possunt. Quod si Clerici suas res deserunt ad negotiandum, ex eis debent vectigalia solvere. *c. 4. b. t. in 6.* Nec item exteri solvere vectigalia tenentur, cum non sint subditi jurisdictioni ea imponentis: Si tamen in illius Principis Regno emant, vel vendant, vel aliter negotientur, cum commoda lucri negotiationis percipiant, & incommodum, onusque vectigalium fas est eos sentire. *L. 10. ff. de Reg. jur. praecipue cum ratione contractus, & quasi domicilij Legibus illius territorij, in quo degunt, subdantur. Nec pauperes, & caeci solvere exactiones tenentur: quia nimis inhumanum videtur, eos in collectione affligere, quibus debuerat, ex collectis, si esset necessitas misereri. c. 4. b. t. Et profecto Leges tributorum, si iusta sunt, in conscientia ligant: secus est si iniuste sint imposita tributa: in dubio tamen debent utique solvi; *arg. c. 3. D. 19.* nam Princeps est in possessione hujus facultatis, ac per consequens melior est ejus conditio. *c. 65. de Regul. jur. in 6.* Confessarius tamen in dubio, ante factum, poenitentem inclinabit ad solvendum, post factum verò non nimis urgebit ad restitutionem tributi non soluti. *Molin. de just. & jur. tr. 2. D. 674. ex n. 4. & alij,* apud Hebraeos autem Judas Gautilianita, seu Galileus in errore fuit, quod solus Deus erat recognoscendus tamquam Princeps, & Dominus, & quod omnes Princeps creati, ac proinde omne Regnum Politicum repellendum erat. Ut habet *Joseph. lib. 18. Antiq. cap. 1. D. Hieronym. in Epist. ad Tit. cap. 2.* ut ergo Christus Dominus, & Apostoli talem exterminarent errorem, ex quo varia scandala poterant oriri, saepe praedicantur, tributum Caesari esse reddendum, & homines debere obedire Regi, tamquam praecellenti. Quod late explanant *Bellarmin. Gonzalez in c. 2. b. t. n. 4. & alij.* De Indis solutis, & filijs familias habetur in *L. 7. tit. 5. lib. 6. R. Ind. Y los que passaren de diez y ocho años de edad, tributen hasta que cumplan cinquenta, si no esquivare introduciendo en algunas Provincias mas, o menos tiempo de exempcion.* De Indis Philippinis habetur in *L. 65. tit. 5. lib. 6. R. Ind. Que paguen diez reales, quedando à eleccion de los Indios el pagar lo todo en dinero, o en frutos, o en uno, y otro.**

349 Jam ad tertiam Rubricae partem acced-

accedamus, ubi de procuracionibus agitur. Episcopo namque, si visitet (secus aliter, nisi ad hoc habeat privilegium) vel etiam alij unicuique Dioecesium visitanti procuratio debetur; haec enim consistit in subsidijs, & expensis, quae pro congrua sustentatione praestantur: quo nomine venit vicus cum habitatione, seu diversorio pro visitatore, & ejus comitatu moderato. *c. 23. b. t. c. 6. de Offic. Ordin. in 6. & quidem antiquius solum in vicualibus praestabatur. c. 1. §. Procuraciones, h. t. in 6.* Hodie tamen in his, vel in pecunia, si malit visitator, solvi debet procuratio. *c. 3. b. t. in 6. Trident. sess. 24. de Ref. cap. 3.* Episcopi enim, si Dioecetum visitent, vel quicumque visitant, etiam in hoc suum officium, & munus adimpleant, non tenentur proprijs sumptibus visitationem facere; nam juxta Apostolum *1. Cor. 9. v. 7. Quis militat suis stipendijs unquam? Imò cum sic visitantes, in Ecclesiae utilitatem spiritualia seminant, debent temporalia metere: sed moderatè quidem, & secundum Ecclesiae facultates: nec enim debet esse nimis comitatus, & apparatus Visitatoris. c. 6. b. t. L. 2. tit. 22. p. 1. ubi assignatur numerus equorum, quos debent visitatores ferre. Nec pluries, quam bis debet visitans procuraciones exigere. c. 21. b. t. regularitèr tamen semel in anno, vel biennio debet fieri visitatio. c. 7. de Offic. Ordin. L. 2. tit. 22. p. 1. *Trid. & eod. DD.* quando visitat Ecclesias, & Clericos Civitatis, in qua habet Cathedralam, vel etiam si Ecclesia sit extra Civitatem, si commodè ad suam domum redire eodem die valeat, non potest procurationem exigere. Et licet visitator possit procurationem, quando actu visitat, remittere pro illo particulari casu. *c. 21. b. t.* quia ipsi talis procuratio debetur, & ejus est moderator, & arbiter. *L. 21. C. Mandat.* non tamen eam potest generalitèr, & in posterum remittere, ita, ut subditus ab eo onere eximatur, & per consequens Visitatoris successores praedictum generetur: quippe illa procuratio in genere est juris publici, ac proinde privatorum patris tolli nequit. *c. 12. de Foro v. compet. L. 38. ff. de Pactis.* Et quidem procurationem solvere tenentur omnes Clerici, Ecclesiae, & Monasteria, si beneficium Ecclesiasticum habeant, & non sint specialitèr exempta: nec sufficit, Monasteria exempta esse à Legge Dioecelana Episcopi; nam si visitentur, tenentur, consequenter procurationem solvere: ad id etiam tenentur Ecclesiae ad exemptos per-*

tinentes. *Cl. 1. b. t.* Laici tamen licet visitentur, procurationem non solvunt, consuetudine sic interpretante. *Gloss. in c. 1. b. t. Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 22. n. 14.* nec item cum solvunt Oratoria privata. *c. fin. b. t.* nec Hospitalia, vel alia pia loca, etiam auctoritate Ecclesiastica erecta, etiam si beneficii titulum habeant. *Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 22. n. 15.* nec item Ecclesiae, vel Clerici notorio pauperes. *arg. c. 7. 10. q. 2.* Procuratio igitur praeterita, & debita praescribi utique potest à subdito: secus jus ad procurationem in futurum ratione visitationis debitam; aliud esset, si ex alio capite deberetur. *c. 17. b. t. c. 11. c. 16. de Praescription.* quia alias visitatores à visitatione abstererentur cum publico Ecclesiarum beneficiorum. *Barbof. in c. 17. b. t. n. 4.* potest tamen procuratio, quomodocumque praescribi: v. g. quod pro vicualibus praestetur pecunia. *Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 22. n. 25.* unus tamen Praelatus adversus alium jus visitandi praescribere potest, ac proinde procurationem rationem visitationis debitam. *c. 16. de Praescription.* etiam subditos adversus Praelatum posse saltem tempore immemoriali praescribere libertatem à procuratione ratione visitationis, sicut acquiri valet privilegio. *Cl. 1. b. t.* tenent Abbas, & alij contra *Barbof. in c. 16. de Praescript. n. 6. & alios.*

350 Denique notare convenit, quod fundus in dotem Ecclesiae assignatus, qui in *c. 1. b. t.* dicitur: *Manfus*, debet esse liber ab omni censu, servitio, seu tributum temporali, non tamen Ecclesiastico: si vero talis fundus ab antiquo est tributarius, cum hoc onere ad Ecclesiam transiit, saltem, quando dos ita abundans constituitur, ut omnibus his oneribus sufficiat, scilicet, & antea constitutis, & congruae sustentationi Ministrorum Ecclesiae. Congrua profecto sustentatio censetur, quidquid est necessarium ad ipsum beneficium honestè alendum, suamque familiam, scilicet, famulos, ancillas, parentes, fratres, sorores, & filios, non tantum legitimos, sed & spurios. Nomine alimentorum veniunt victus, vestitus, medicamenta, libri, hospitalitas, convivia moderata, & donationes, & sane non tantum remuneratoriae, sed etiam merè liberales: dum tamen sint moderatae, juxta suum statum, debetque in his attendi id, quod solent homines ejusdem qualitatis communiter facere.

T I T XL.

De Consecratione Ecclesie, vel Altaris.

351 **SATIUS** (inquit felix Papa in c. 11. de Consecr. D. 1.) est Missam non cantare, aut non audire, quam in illis locis, ubi fieri non oportet. L. 5. tit. 10. p. 1. Missa siquidem in Ecclesia debet celebrari. Ecclesia tamen aliquando mystice sumitur, prout est coetus omnium fidelium, tam hominum, quam Angelorum, quorum caput Christus est. D. Thom. in 3. p. q. 8. art. 4. in corp. ibi: Ubi est unum corpus, necesse est ponere unum caput. Unum autem corpus similitudinariè dicitur una multitudo ordinata in unum, secundum distinctos actus, sive officia: manifestum est autem, quod ad unum finem, qui est gloria divina fructio ordinantur, & homines, & Angeli: undè corpus Ecclesie mysticum non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex Angelis: Totius autem hujus multitudinis Christus est caput: quia propinquus se habet ad Deum, & perfectius participat dona ipsius, non solum, quam homines, sed etiam quam Angeli, & de ejus influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli. Ecclesia tamen in presenti pro edificio materiali sumitur, & sic appellatur, quasi coetus, congregatio, vel Concilium: & Athenienses hoc nomine vocabant Conventum Civium, qui Reipublice causa conveniebant. Et quidem Ecclesie varijs nominibus solent appellari, scilicet, Tempia, Oracula, Oratoria, Martyria, Memoria, Consecrationes, Tituli, &c. Gonz. in c. 1. b. t. n. 6. sapè tamen Ecclesia appellatur Basilica. e. 4. D. 42. c. fin. de Eccles. aedificand. licet Basilica soleat appellari, quæ Princeps est: Basilica, teste Nebrissensi, Græcè idem est ac Regia. Hispanè: Palacio Real, vel etiam locus publicus, ut in L. 1. §. fin. ff. de Adquir. possess. & ibid. Goshofr. Præterea, hic obiter notare convenit, quod Ecclesia Parochialis in Diocesi venit nomine Matricis. Lacroix lib. 6. p. 2. n. 2055. Decr. 129. & quod Collegiata quamvis omnes præcedentiam habeat supra Matricem, non tamen potest in Sabbato Sancto prius pulsare campanas. Item Collegiata insignis ab ejus erectione præcedit alias Collegiatas antiquiores. Decr. 141. Collegiata simplex præcedit Parochiales. Decr. 153. in Collegiata

organum debet haberi. Decr. 225. in Cathedrali, Collegiata, & Conventuali, ubi est competens numerus Sacerdotum, quod tunc una saltem Missa privata celebrari, & altera cantari debet. Lacroix lib. 6. p. 2. n. 1352. Ut ergo Divina Officia dignè celebrentur, debet esse Ecclesia, saltem benedicta, & licet non sit necessariò consecranda, consecrari tamen debet, & oportet, cum fieri possit, quippe ex consecratione specialem Dei protectionem consequuntur fideles. L. 15. tit. 10. p. 1. Consecratio siquidem Ecclesie, vel Altaris est illius Dedicatio Deo facta à legitimo Ministro, intervenientibus materia, & forma debitis. Materia est Oleum, & Chrisma, forma consistit in verborum solemnitate. Consecratio quidem differt à benedictione in eo, quod benedictio potest committi ab Episcopo simplici Sacerdote, & plures Regulares ex privilegio Pontifici possunt benedicere Ecclesias, Altaria, & Camera ad suum tantum usum, nequeunt tamen Ecclesias, nec Altaria consecrare. Item benedictio non per inunctionem, sicut consecratio, sed per aspersionem aquæ benedictæ cum certis precibus fit. Præterea consecratio parietibus, & quidem parietibus exterioribus, seu superficialibus, in qua Crux apponitur: benedictio tamen pavimento adheret: ac proinde hæc solum deficit, Ecclesia diruta Superioris auctoritate, & sine readificationis spe: consecratio tamen dirutis parietibus deficit. Quando Ecclesia consecratur, debet dies consecrationis notari, ut quotannis illius Dedicatio celebretur. c. 1. de Conf. D. 3. L. 19. tit. 10. p. 1. Hæretici quidem irritant Ecclesiarum consecrationem: sed ineptè cum consecrationis usus jam in Lege Naturæ receptus fuisset, ut constat ex Genes. 28. ubi Jacob erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper. Et in Lege scriptæ Dominus præcepit Moyse. Exod. cap. fin. Omnia inunctionis oleo consecrabis, ut sint Sancta Sanctorum. Et in Lege Gratiæ jam ab antiquo fuit recepta Ecclesiarum consecratio. Et quamvis Episcopus debeat consecrari in Die Dominica, tamen Ecclesia, vel Altaris consecratio quolibet die fieri potest. L. 13. tit. 10. p. 1. decet tamen, ut fiat die Dominica, aut festo. c. 2. b. t. & ibid. Gonz. debet autem, saltem ex honestate, & decencia, fieri inter Missarum solemnia. c. 3. de Conf. D. 1. sed non est necessarium, quod ipse Episcopus consecrans Missam celebret: sufficit namque, si ab alio Sacerdote celebretur. L. 13. tit. 10. p. 1. Ritus, & modus Ecclesiam consecran-

di luculenter explicantur à Rege nostro Alfonso in L. 14. tit. 10. p. 1. Bellarm. Barb. Gonz. & alij. In Templo enim consecrandi depinguntur duodecim Cruces in circuitu parietum, in parte interiori Ecclesie, in tali distantia, ut nullus possit eas manu tangere, & ita collocari debent, ut tres respiciant Orientem, tres Occidentem, tres Meridiem, & tres Septentrionem: sicut à Joanne in Apocalypsi portæ Civitatis Cœlestis depinguntur. In singulis Crucibus candelæ cereæ accensæ appenduntur, ita ut clavi in medio Crucis sint defixi. Episcopus tunc circuit Templum, & cum accedit ad ejus portam tunc baculo superliminare percutit, & porta aperitur, & Episcopus Ecclesiam ingreditur, ibique Baculo Pastoralis scribit Alphabetum Latinè, & Græcè super cinerem conspersum per pavimentum Templi: qui quidem cinis debet esse admixtus vino, sale, & aqua benedicta. Incipitque Episcopus scribere in modum Crucis à cornu Altaris sinistro, usque ad dexteram partem ostij, & à cornu Altaris dextro usque ad sinistram ostij partem. Et chrismate, oleoque sacro inunguntur duodecim Cruces in parietibus interioribus Ecclesie depictæ. Deinde potest Episcopus eodem die, si vult, Altare consecrare, vel potest alio die hoc facere. Vel potest unus Episcopus Ecclesiam, alter Altare consecrare, vel eodem, vel diversis diebus. L. 12. tit. 10. p. 1. & ibid. Greg. Lop. ubi assert Textus Canonicos concordantes.

353 Episcopus ergo providere debet, ut Ecclesia consecranda competentem dotem habeat. C. 26. 16. q. 7. nisi sint Ecclesie Religiosorum. Barbos. de Jure Eccles. lib. 2. cap. 2. n. 34. nec potest aliquod pro Ecclesie consecratione exigere. C. 106. 1. q. 1. C. 10. de Simon. sponte tamen oblatum recipere profectò valet. Et quidem Episcopus Diocesis, in qua sita est Ecclesia consecranda, etiam si exempta sit, illam debet consecrare, vel licentiam alteri Episcopo concedere. C. 26. 16. q. 7. c. 2. b. t. L. 12. tit. 10. p. 1. nec potest simplici Sacerdoti committi, siquidem consecratio est actus Ordinis Episcopalis. C. 4. D. 68. L. 12. tit. 10. p. 1. Gom. in c. 9. b. t. n. 2. Episcopus tamen sine expressa Diocesani licentia illicitè, quamvis validè Ecclesiam consecrat: sed per annum privatur à celebratione Missarum. C. 28. 7. q. 1. & quia Pontificalia in aliena Diocesi exercet ipso jure suspenditur à Pontificalium exercitio. Trid. sess. 6. de Ref. cap. 5. Consecratio Ecclesie, vel Altaris regularitèr non est

iteranda. C. 20. de Conf. D. 1. c. 6. h. f. nisi forte in consecratione non fuisset adhibita debita forma. L. 19. tit. 10. p. 1. & ibid. Greg. 1. op. vel si Ecclesia execratur: quod fit, si parietes, vel major eorum pars corruerit, vel etiam ipsis manentibus, si crusta interior incendio tollatur, vel aliter abradatur: in ea etenim superficie, in qua Crux apponitur ita consecratio. C. 20. de Conf. D. 1. L. 19. tit. 10. p. 1. Si parietes permaneant, etiam si tectum corruat, non deficit consecratio: vel etiam si parietes modica ex parte destruantur. C. 6. b. t. L. 19. t. 10. p. 1. Nec item execratur Ecclesia, quando successivè reparantur parietes, ita ut nunquam major pars destruitur: vel quando Ecclesia ampliatur, & aliqua pars minor accedit veteri, cum semper remaneat pars major Ecclesie, quæ consecrationem retinet. L. 19. tit. 10. p. 1. C. 3. b. t. l. 76. ff. de Judic. Barbos. in c. 6. b. t. n. 3. Suar. & alij contra Innoc. Abbat. & alios. Aliud tamen est, quando Ecclesia casu, vel ex industria diruta de novo fit ex eadem materia: nam moralitèr censetur nova Ecclesia, ac proinde consecrationem creditur amisisse; arg. l. 10. §. 7. ff. Quibus modis usufr. ubi navis, & domus ex antiquis materialibus refectæ, censentur novæ, ita ut ulustructis antiquis pereat. Si ignoretur, vel dubitetur, an Ecclesia sit consecrata, cum consecratio sit quid facti, quod non præsumitur, potest iterari consecratio. C. 16. cap. 18. de Conf. D. 1. L. 19. tit. 10. p. 1. Cathedrales autem antique consecratæ præsumuntur, nisi contrarium probetur: quia hæc dedicari solent statim, ac earum fabrica perfecta est. C. 3. de Conf. D. 1. & sanè consecratio per unicum testem probatur, qui dicat, se vidisse, vel etiam audivisse, Ecclesiam esse consecratam. Etiam probatur per Cruces in pariete factas, vel ex scriptura in aliqua columna, vel alijs hujusmodi probationibus, etiam non sint omninò perfectæ, & plenæ: cum ex hoc nulli sequatur præjudicium. Barbos. de Jur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 2. ex n. 43. Mascard. de Probat. concl. 415. n. 4. & alij. Præterea: sciendum est: quod execrata Ecclesia non intelligitur consecraturum Altare consecratum, nec è contra, cum una ab altera consecratio independens sit. L. 19. tit. 10. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. Otraz vez. licet Ecclesia polluta, etiam Altare polluat, & è contra; quia pollutio afficit indivisiblitèr omnia in Ecclesia contenta. Barbos. in c. 1. b. t. n. 4. & ibid. Gonz. n. 14. Et proculdubio Altare fixum execratur, si la-

pis superior, seu mensa enormiter frangatur, vel separatur à structura, vel columnis, quibus firmiter inhaeret. *C. 19. de Conf. D. 1. c. 3. c. 6. b. t. L. 19. tit. 10. p. 1.* sciscus est, si tota, & integra mensa de uno in alium moveatur locum. *Barbos. in c. 1. b. t. n. 2.* Nam in ea structura, & conjunctione stat substantia Altaris fixi. Nec Altare portatile consecrationem amittit, si à tabula, cui est inclusum separatur, Altare portatile nunc dicimus tabulam quadratam lapideam, quam aram nuncupamus. *L. 19. tit. 10. p. 1.* execratur tamen Altare, etiam portatile, si sit enormiter læsum, quia fractura est in medio lapidis, ubi Calix collocatur: vel quando in nulla parte integra potest Calix cum patena collocari. *C. 1. c. 3. c. 6. b. t.* vel etiam, saltem ex consuetudine, si locus reliquiarum tollatur, vel frangatur. Cum semel Altare fractum est, non possunt fragmenta lapidis iterum conjungi. Si verò ex modica tantum parte Altare frangatur, non amittitur consecratio. In dubio tamen decisio ad Episcopum spectat.

354 Missa igitur in Ecclesijs celebranda sunt. *C. 11. de Conf. D. 1.* non tamen extra eam in domibus privatis: licet quilibet possit in sua domo Oratorium ad orandum habere. Potest tamen aliquando Missa extra Ecclesiam celebrari. 1. Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi, etiam extra suam Dioecesim, & etiam si tantum Titulares sint, & quidem non solum causa infirmitatis, vel necessitatis, sed etiam tantum causa majoris commoditatis, vel devotionis, quando iter agunt, possunt in Altari Viatico celebrare. *C. fin. de Privileg. in 6. L. 4. l. 5. tit. 10. p. 1. Laer. lib. 6. p. 2. n. 258.* 2. Episcopus potest concedere licentiam ad celebrandum in Altare portatili, etiam hodie post *Trident. sess. 22. in Decr. de Observand. in celebr. Missar.* sed non liberè, & sine aliqua causa, ut antiquis. *C. 12. c. 14. de Conf. D. 1. L. 4. l. 5. tit. 10. p. 1.* sed ex aliqua iusta causa; v.g. alicujus necessitatis, quando scilicet, aliqua persona gravis aegrotat, vel tempore pestis, vel etiam quando necessitas est dubia. *Barbos. de Poteff. Episc. alleg. 23. n. 9. Suar. & alij contra Navar. Man. cap. 25. n. 81. Gutier. Canon. qq. lib. 1. cap. 30. n. 25. & alios* qui tenent post *Trid.* esse Summo Pontifici hanc facultatem reservatam. Non tamen possunt Episcopi concedere Oratoria privata secularibus, ut ibi semper, & per modum habitus Missa celebretur. Capellæ carcerum publicorum non comprehenduntur in Decreto tollente Oratoria

privata. Illa verò, quæ sunt in Aulis publicis Civitatis, ubi Senatores conveniunt, privata sunt. Episcopus tamen potest dare licentiam, ut per modum habitus Missa celebretur, si Oratorium privata domus ingressum publicum, per viam publicam habeat: Nam eo ipso publicum censetur. *Laer. lib. 6. p. 2. ex 263. 3.* ex privilegio Apostolico potest Missa celebrari in Altare portatili, & quidem concessio post revocationem antiquorum privilegiorum factam à *Trid. sess. 22. in Decr. de Observ. in celebr. Missar.* ut constat ex *Gonf. Clem. XI. ann. 1703. & Decr. Cong. 17. Nov. ann. 1607.* Hoc privilegium datum à Papa, durat, etiam mortuo Papa, ad vitam privilegiati: & si ipse mutet domicilium in aliam Dioecesim secum fert privilegium Papæ, quia est privilegium personale, quod personam semper committitur: requiritur tamen ad hujus privilegij usum inspectio loci, & approbatio novi Episcopi. In his tamen Oratorijs secularium, non licet celebrare Festis Nativitatis Christi Domini, Epiphania, Paschatis, Pentecostes, Annuntiationis, Assumptionis, & in festis Apostolorum, Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum. Fratres Prædicatores, & Minores ubicumque fuerint, non requisito Ordinariorum assensu, sine præjudicio tamen Juris Episcopalis, possunt celebrare in Altari portatili. *C. 30. de Privileg. Provincialis nostræ Societatis* possunt, nullius requisita licentia, Oratoria erigere, in quibus possunt plures Missæ, etiam à secularibus celebrari: non tamen debent ibidem cantari Missæ solemnes ob rei novitatem. *Laer. lib. 6. p. 2. ex n. 258. 4.* In casu necessitatis potest Missa extra Ecclesiam subsidio celebrari à quocumque Sacerdote, etiam sine Episcopi licentia, si notoria sit necessitas: requirenda tamen est saltem ex decencia. *C. 11. de Conf. D. 1.* si ob defectum Ecclesiæ, vel ob ejus angustiam Populus nequeat sacrum audire, extra Ecclesiam Missa celebrari potest. *C. 30. de Conf. D. 1.* vel si Missa coram exercitu dicenda sit, vel si navigantes nequeant navim deserere, potest in litore Missa celebrari, vel in ipsa navi, si non sit periculum sanguinis effundendi ob tempestatem, vel inquietudinem maris. *L. 5. tit. 10. p. 1.* & sic jam non semel, sed frequenter Missæ celebrantur in navigationibus, quæ sunt ab Hispania in novum Orbem, & ab Acapulco in has Insulas Philippinas, & ego non semel practicavi.

355 Licet tamen aliquando possit extra Ecclesiam Missa celebrari, nunquam

tamen valet sine Altari dici: Altare quidem, vel est *fixum*, quod scilicet, stabile est, & in Ecclesia firmiter perseverat, vel *portatile*, quod scilicet, de uno in alium locum portari potest, & proprie est *ara consecrata*, licet sæpe *pro tota Altaris*, quod extra Ecclesiam erigitur, *structura* sumatur. Et quamvis olim Divus Petrus, & aliqui ejus successores ob persecutiones Tyrannorum Altari ligneo uterentur, tamen aliquantulum persecutionibus sedatis, S. Sylvester statuit, Altare debere esse lapideum. *c. 31. de Conf. D. 1. L. 12. tit. 10. p. 1.* ut sic designetur, Sacerdotes sacrificantes mortem Domini in sepulchro lapideo sepulti annuntiare. Et consuetudine generali receptum est, quod Altare ex uno tantum lapide sit confectum, non ex duplici, etiam colligato, ut sic aptius representetur unitas personæ, quæ est in Christo. Ejus figura debet esse quadrangularis; nec ejus latitudo minor uno palmo potest esse, ita ut calix cum patena absque periculo dilabendi possit in eo collocari. *Barbos. de Poteff. Episc. alleg. 27. n. 21. Nicol. in Flos. & alij.* Omnia Altaria debent habere sepulchrum, & sigillum, hoc est, aliquam cavitatem ad recludendas reliquias Sanctorum. *c. 26. de Conf. D. 1. L. 12. tit. 10. p. 1.* Omne Altare, si vè fixum, si vè portatile debet esse consecratum. *c. 19. c. 31. de Conf. D. 1. c. 1. b. t.* & gravissimum peccatum est, absque hujusmodi Altari Missam celebrare, debetque ab Episcopo consecrari, nec potest à simplici Sacerdote consecrari, cum hoc ad ordinem pertineat Episcopalem. *c. 4. D. 68. c. 5. b. t.* Sacerdotalis tamen benedictio, de qua in *c. 32. de Conf. D. 1.* intelligitur Episcopalis. Solus enim Summus Pontifex potest simplici Sacerdoti concedere facultatem consecrandi Altaria. Præterea: calix, & patena etiam consecrari debent unctione chrisimatis ab Episcopo de Jure Communi: & ex consuetudine, etiam ab Abbate habente usum baculi, & mitræ. Et ex privilegio etiam à nostræ Societatis Sacerdotibus in partibus Indiarum, ubi nullus est Episcopus Catholicus. Materia calicis assignatur in *c. 45. de Conf. D. 1.* ibi: *Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat: si quis autem tam pauper est, saltem, vel aurichalco non fiat calix, De are, aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem eruginem parit, quæ vomitum provocat: Nulus autem in ligneo, aut vitreo calice presumat Missam cantare.* Licet olim quando Sacerdotes aurei erant, ligneis calicibus uterentur. *c. 44. de Conf.*

D. 1. Nunc tamen solum ex tribus assignatis materijs calix fieri potest, & debet, saltem quoad cuppam: nam pes ex ferro, vel alia materia fieri potest Calix igitur, & patena excrantur per amissionem formæ, & usus. Calix namque excratur, si cuppa per fractionem à pede separatur: secus est, si pes tornatilis sit. *Barbos. de Poteff. Episc. alleg. 27. n. 39.* Si deauratio temporis diuturnitate ablumatur non excratur calix: amitti tamen consecrationem, quando calix de novo deauratur, tenent, *Barbos. de Poteff. Episc. alleg. 27. n. 38. Azor in Instit. p. 2. lib. 9. cap. 7. q. 3. & alij*, contra *Durand. Conink. & alios.* Etiam debent benedici vestes, & paramenta, sine quibus Missa non potest celebrari. *c. 39. c. 40. c. 42. de Conf. D. 1.* & cum in eorum benedictione chrisma non requiratur, potest fieri, & fit à Prælati Regularibus, sed tantum ad usum suarum Ecclesiarum. *Joan. Gallemart. ad Tri. sess. 23. de Ref. cap. 10. n. 1. & alij*: prædicta tamen paramenta benedictionem amittunt, si propria figuram non retineant, vel si non deserviant ad usum destinationum: v.g. si ex planeta fiat stola, vel ex stola manipulus, vel ex alba amictus, vel quid simile. *Barbos. de Poteff. Episc. alleg. 27. n. 45.* Non tamen amittunt benedictionem, si priorem formam, seu figuram retineant, etiam si aliquid addatur; *arg. c. 3. b. t.* Si jam ad usum sacrum non deserviant, debent comburi, non tamen ad usum profanum applicari. *c. 39. de Conf. D. 1.* Et idem statuitur de lignis Ecclesiæ dedicate, vel consecrate, in *c. 38. de Conf. D. 1.* Præterea: Cæmeteria consecrari, vel benedici debent, quia aliquando Divina Officia in eis peragebantur: & quia magis immunes censentur animæ defunctorum à spiritibus immundis. *Gonz. in c. 7. b. t. n. 2.* ubi notat, quod *Cæmeterium*, sic dicitur, quasi *dormitorium*, quia Christiani ibi sepulti ob spem gloriose resurrectionis non tam mortui jacere, quam dormire dicuntur, juxta illud Apostoli 1. *Cor. 5. v. 20. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitia dormientium.* Etiam aliquando Cæmeteria dicuntur *area, tumba, catatumba, cryptæ, & arenaria.* Campanæ etiam consecrari solent, & nomen illis imponi, ut ex more antiquo observat Ecclesia, non quia baptizentur, ut Hæretici calumniosè fingunt, sed ut illi Sancto, cujus nomen habent, specialiter dedicentur. Et hæc etiam ratione Navibus nomen alicujus Sancti solet imponi. Consecrantur ergo Campanæ, ut illo, quasi factrato sono Populus

pulus ad divinas laudes vocetur, Dæmoniacus, & tempestates fugentur. Campanarum usus satis apertè his verbis explicat *Glossa in Extrav. un. de Offic. Custod. int. com.*

*Laudo Deum verum, plebem voco,
congrego Clerum:
Defunctos ploro, pestem fugo, festa
decoro.*

Et quamvis communiter non possit Populus ad arma per campanas convocari: quia talis usus profanus est, tamen hoc profecto fieri valet, & communiter fit in casu necessitatis, quando aliud signum ad hanc convocacionem faciendam non datur: vel etiam in casu pietatis, alijque similibus, quos usus optimus interpretes apud fideles admittit. Campanæ tamen nequeunt in privatis Oratorijs apponi, sed in Ecclesijs publicis collocantur. *c. 10. de Privileg.* in Ecclesijs autem Mendicantium unica tantum campana de jure potest apponi. *Extr. un. de Offic. Custod. int. com.* Sed per generalem consuetudinem, Prælati scientibus, imò & ipso Romano Pontifice hoc vidente, huic juri derogatum censetur, cum omnes Regulares pluribus utantur campanis in suis Ecclesijs. At verò in refectorijs, Capitulis, & alibi plures campanulas de jure possunt habere Religiosi ad suarum functionum usum. *Extrav. un. de Offic. Custod. int. com. Durand. & alij.* Sex campanarum species distinguunt: siquidem quæ pro Refectorio servit vocatur *Squilla*; quæ in Claustro pendet, dicitur *Cymbalum*: quæ est in Choro *nola* appellatur: quæ in horologio pulsatur *nolula* dicitur: quæ in campanili sonat nuncupatur *Campana*, & denique, quæ pulsatur in Turri signum vocatur.

356 Accidit aliquando, quod Ecclesia ad celebrationem Divinorum instituta polluitur, & quasi deturpetur, ita ut debeat de novo quasi purificari ad prædictum effectum: Et sanè polluitur Ecclesia, non quatenus in se coinquinetur. *c. 7. de Cohabit. Cleric.* Sed quatenus, cum integra omnino maneat, aliquid evenit, quod fidelibus horrorem ingerit, in ejus desolationem nequeunt in ea Divina celebrari, donec reconcilietur. *L. fin. tit. 10. p. 1.* & quidem polluta Ecclesia polluitur cæmeterium contiguum, cum Ecclesiæ accessorium sit: non tamen è contra ob rationem contrariam. Et per Ecclesiæ reconciliationem, etiam ejus cæmeterium contiguum reconciliatur. *c. un. b. t. in 6. Barb. de Jur. Eccles. lib. 2. c. 9. n. 11.* Ecclesia ergo polluitur, 1. homicidio yo-

luntario, & injusto. *c. 19. de Conf. D. 1. c. 4. b. t.* etiam si occisio sine vulnere, vel sanguine fiat: v. gr. suffocacione: & etiam si extra Ecclesiam fuisset occisio, vel etiam si extra eam moriatur in ea vulneratus; & etiam si quis ex desperatione se ipsum in Ecclesia occidat: quin & occisione martyris polluitur: quia actio occisoris est Ecclesiæ injuriosa. Similiter polluitur, etiam si occisus sit bannitus, vel nocens, nam licet occisio sit justa, est tamen injuriosa Ecclesiæ: prolatio tamen sententiæ mortis in Ecclesia facta licet nulla sit, & Ecclesiæ inferat injuriam, non tamen eam polluit, cum hoc non sit expressum in jure. *Barb. in c. 4. b. t. Gonz. in c. 7. b. t. n. 6.* nec item polluitur Ecclesia, si vulneratur extra eam, in ea tandem moriatur: vel si in Ecclesia existens occidat extra eam exitentem: vel si quis supra, vel infra Ecclesiam occidat: solum namque polluitur, quando aliquis intra Ecclesiam occiditur: scilicet, quando occisus est in loco, qui est à pavimento usque ad tectum interioris, & ab ara maxima usque ad parietem oppositum. Nec tamen polluitur, si quis ad se defendendum jure in Ecclesia aggressorem occidat, vel etiam si illicite: non tamen actione ex se determinata ad occidendum: vel si occisio facta sit à furioso, vel ebrio; *arg. Cl. Si furiosus, de Homicid.* vel ab animali, vel trabe, vel lapide casu decidente. *Barbos. in c. 4. b. t. Gonz. in c. 7. b. t. n. 6.* Siquidem in prædictis, & similibus casibus non concurrunt, quæ ad Ecclesiæ pollutionem sunt necessaria: scilicet quod occisio sit voluntaria, & Ecclesiæ injuriosa, & quod intra Ecclesiam, vel cæmeterium sit facta. 2. polluitur Ecclesia per vulneris infliccionem, ita ut in ea sanguis effundatur humanus. *c. 20. de Conf. D. 1. c. 4. c. fin. b. t. c. un. eod. in 6. L. fin. tit. 10. p. 1.* Non tamen est necessarium Ecclesiam sanguine maculari: quippe ipsa polluitur, etiam si sanguis in ea effusus in veste vulnerati detineatur, quin ad pavementum pertingat. Et è contra non polluitur. 1. Si sanguis non effundatur, etiam si gravis sit percussio. 2. Si aliquid tantum effundatur gutta, non verò quantitas notabilis, quæ quidem nomine effusionis significatur. 3. Si percussio non gravis, ut percussio in naribus ex rixa puerorum, licet magna sanguinis copia effluat. 4. Si effusio sanguinis non sit in Ecclesia, quamvis in ea sit facta percussio. 5. Si effusio non sit voluntaria, quia facta est ab amente. *Gonz. in c. 7. b. t. n. 6. 3.* polluitur Ecclesia si humanum semen, sive vi-

rile,

rile, sive muliebri voluntariè, & illicite cum complice, vel sine eo effundatur intra Ecclesiam. *c. 20. de Conf. D. 1. c. 5. de Adulterijs, c. fin. b. t. L. fin. tit. 10. p. 1.* non tamen polluitur. 1. Si in recto, Sacrificio, campanili, vel extra januam fiat effusio. 2. Si in modica effundatur quantitate. 3. Non polluitur per distillationem, vel emissionem menstruum, vel per seminis corrupti effusionem. 4. Si conjuges ad vitandum incontinentiæ periculum libi mutuo debitum redderent: secus esset, si extra casum necessitatis hoc facerent. 5. Si non sit voluntaria seminis effusio: v. g. in somnis, vel etiam in vigilia præter intentionem effluens. *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 28. ex n. 43. Gonz. in c. 7. b. t. n. 7. Laer. lib. 6. p. 2. ex n. 279.* 4. polluitur Ecclesia, si in ea sepeliatur infidelis, etiam infans. *c. 27. c. 28. de Conf. D. 1.* Infans etenim non baptizatus non debet in Ecclesia sepeliri: nam in Ecclesiam nondum per baptismi januam est ingressus: quod si sepeliatur, pollui Ecclesiam tenent. *Abb. Bonac. Dian. & alij*, quod tamen aliqui non improbabiler negant cum *Ugolino*: quando autem infans adhuc in matris utero est, ut pars ejus licite cum ea sepelitur, quin ex hoc Ecclesia polluitur. *Gonz. in c. 7. b. t. n. 8.* nec sepultura Cathecumini in Ecclesia eam polluit, quia latè potest dici fidelis. *Barb. de Potest. Episcop. alleg. 28. n. 53.* 5. Ecclesia polluitur, si in ea excommunicatus sepeliatur. *c. 7. b. t.* dum tamen sit vitandus, & ratio est, quia cum quibus vivis non communicavimus, etiam mortuis communicare non debemus: non tamen polluitur, si excommunicatus sit toleratus ob contrariam rationem. *Gonz. in c. 7. b. t. n. 8. Barb. & alij*: quod si excommunicatus vitandus defacto sit in Ecclesia sepultus debet exhumari, si ejus ossa discerni possint ab ossibus aliorum fidelium, qui non fuerunt excommunicati. Si non possint discerni, omnia in pace requiescere sinantur, ne ob excommunicati culpam ossa servorum fidelium debita sepultura priventur. *c. 27. de Conf. D. 1.* Si possint discerni, exhumantur, & reconciliatur Ecclesia. Interdictus personaliter nequit in loco sacro sepeliri. *c. 20. de Sent. excom. in 6.* ac proinde si sepeliatur, debent ejus ossa exhumari: non tamen per ejus sepulturam polluitur Ecclesia, cum hoc in jure non exprimat. Per alia crimina etiam atrociora, præter dicta, non polluitur Ecclesia: nam hæc Lex, seu dispositio, utpotè odiosa non debet ad non expressa extendi; *arg. c. 15. de Reg. jur.*

in 6. Azor in Instit. p. 2. lib. 9. q. 3. & alij contra *Hofstiens. & alios*. Imò nec per crimina dicta polluetur, si sint occulta, dum talia maneant: quod si per evidentiam facti, vel condemnationem rei crimen confessi, vel de eo convicti, vel per probationem legitimam sint, vel fiant publica profecto polluitur Ecclesia; *arg. c. 5. de Adulter. Barbos. de Potest. Episc. alleg. 28. n. 37. Gonz. in c. 7. b. t. n. 7. & alij.* Et quamvis in *L. fin. tit. 10. p. 1.* videatur Ecclesiam reconciliandam esse, etiam si delictum sit occultum, non debet hoc de necessitate, sed tantum de consilio fieri, quia hoc tutius est. *Greg. Lop. ibid. V. Encuberto.* Et quidem per bucuque dicta polluitur, vel execratur Ecclesia strictè talis, & non quilibet locus sacer. Ecclesia strictè talis est locus consecratus, vel benedictus ab Episcopo, & deputatus ad Divina communiter celebranda.

357 Ecclesia igitur polluta debet reconciliari, ut in ea possint Divina licite celebrari. *L. fin. tit. 10. p. 1.* aliter nequeunt celebrari Divina, adeò, ut etiam si incepta Missa, ante consecrationem tamen polluat Ecclesia, debeat Missa abrumpi: secus est, si post consecrationem polluat. Et profecto reconciliari debet sumptibus eam violantis, vel profanantis, si sciatur, quis sit, & possit: quod si nesciatur quis sit, vel non possint, reconcilianda erit sumptibus Parochianorum, & in omnium defectu, Episcopus suis sumptibus eam reconciliare debet. *Barbos. in c. 9. b. t. n. 2.* Quando Ecclesia est violata, seu polluta per infidelis sepulturam, debet prius ejus corpus foras ejici, ut dictum est, & parietes, & tigna Ecclesiæ radi debent. *c. 28. de Conf. D. 1.* quando tantum est benedicta. Si est consecrata, sufficit iterum dealbari ad vitandam execrationem. Non reconciliatur præcisa Missæ celebratione, ut contra *Sa. V. Ecclesia. n. 19. & Castro*, tenet *com. DD. ex c. 4. c. 9. b. t.* Nam cum ibidem apponatur modus, & forma Ecclesiæ reconciliandi, nihil dicitur de reconciliatione per Missæ celebrationem, ac propterea talis modus gratis confidus censetur. *Laer. lib. 6. p. 2. n. 295.* Si ergo Ecclesia est consecrata, & violetur, debet reconciliari à proprio Episcopo, vel etiam ab alio Episcopo, de proprij tamen licentia: numquam verò à simplici Sacerdote: quia est actus Ordinis Episcopalis, quem sine privilegio Pontificis nequeunt simplices Sacerdotes exercere. *c. 9. b. t. L. fin. tit. 10. p. 1.* Superiores Regularium habent privilegium suas Ecclesias reconcilian-

liandi. Quod si Ecclesia violata, seu polluta tantum sit benedicta, potest reconciliari per simplicem Sacerdotem, asperione, scilicet, aqua benedicta etiam sine licentia Episcopi. *c. fin. b. t. l. fin. tit. 10. p. 1.*

TIT. XLI.

De Celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistia, & Divinis Officijs.

358 **E**ucharistia Græcè, Latine, significat gratiam optimam, seu gratiarum actionem. Est igitur Sacramentum, quatenus est signum visibile invisibilis gratia: est Testamentum, quatenus est instrumentum authenticum Divinae voluntatis, & promissionis vitæ æternæ: est Sacrificium, quatenus Deo offertur in agnitionem supremi ejus dominij. Et quidem Eucharistia olim habuit plures figuras in Lege veteri, quarum præcipua fuit *Agnus Paschalis*. In Missa tamen comparatur Sacrificio Abel, Abrahæ, & Melchisedech. Signa quidem Eucharistia sunt oblatio Melchisedech, respectu ejus, quod est Sacramentum tantum: manna respectu ejus, quod est res tantum, & Agnus Paschalis respectu ejus, quod est res, & Sacramentum. Profecit: Sacramentum tantum stat in materia, scilicet in pane, & vino. Res tantum est effectus hujus Sacramenti, scilicet, gratia. Res & Sacramentum est Corpus verum Christi Domini. *D. Thom. in 3. p. q. 73. art. 6.* & sanè inter omnia Sacramenta Legis veteris, & novæ excellentissimum, Sacrosanctum, mirabile, venerandum, maximeque Divinum Sacramentum Eucharistia habetur, Eucharistia namque dicitur, quia cum gratiarum actione offertur Æterno Patri, principaliter quidem à Christo, à Sacerdote tamen ministerialiter. *Trid. sess. 22. de Sacrific. Missæ, cap. 1. & 2.* Et licet hoc Sacramentum sit posterius baptismo in perceptione, est tamen prius in intentione, quin omnium Sacramentorum perfectio est: pluribus insuper nominibus Eucharistia indigitatur, sed frequentiora sunt sequentia: *Synaxis, communio, sacrum convivium, panis Angelicus, Cæna Domini, memoriale Passionis, Hostia, Victimæ, Viaticum*, & alia, de quibus com. DD. Præterea: Eucharistia est Sacrificium, & Sacramentum: qua Sacrificium pertinet ad primam Rubricæ partem: qua Sacramentum ad secundam

spectat. Et quando Eucharistia absolute dicitur, ut Sacramentum significatur, & sic aptè describitur. *Est Sacramentum continens sub specie panis, & vini, vel alterius eorum, Corpus, & Sanguinem Christi ad resurrectionem spirituales animarum, Divinitus institutum. Joan. 6. Trid. sess. 13. de Euchar. cap. 2.* quatenus Sacrificium est, dicitur *Missæ*, quod nomen Hebraicum est; teste Nebrissenfi, à verbo *Misach*, quod oblatum significat, deductum. Vel sic dicitur à verbo *Mitto*: quia olim Cathecumeni ante oblationem dimittebantur, & fideles hodie dimittuntur, Sacrificio peracto, per illa verba: *Ite Missæ est*, id est, ite, nam Hostia ad Cælos Missa est. *L. 58. tit. 4. p. 12* ibi: *Missæ tanto quere dicitur, como cosa enviada. D. Thom. in 3. p. q. 83. art. 4. ad 9.* ibi: *Est propter hoc, etiam Missæ nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut Populus per Sacerdotem: vel quia Christus est Hostia nobis Missæ à Deo. Undè & in fine Missæ Diaconus in festis diebus Populum licentiat, dicens: Ite Missæ est, scilicet Hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet, sit Deo accepta. Missæ ergo est actio, qua ex institutione Christi Domini in memoriam Passionis ejus, panis, & vinum in ejusdem Corpus, & Sanguinem consecrantur, & sub eorum speciebus Deo offeruntur. Et est verum, & excellentissimum novæ Legis Sacrificium. *Trid. sess. 22. can. 1.* superans omnia Legis veteris sacrificia; sed ut clarius hæc percipiatur materia, aliquid de Sacrificijs prænotare oportet.*

359 **Sacrificium** equidem in genere est oblatio Deo super altari facta in recognitionem dominij, & Majestatis ipsius cum aliqua destructione, vel immutatione notabili, saltem moraliter rei oblatæ. Sacrificia enim apud omnes Gentes in usu fuerunt. Sic apud *Virgil. Æneid. 2.* habetur: *Hanc pro Palladio moniti pro lumine laeso, effugiens statuere, nefasque triste pariet.* Sic etiam apud *Ovid. lib. 12. Metam.* Aggamenon filiam Dianæ sacrificare intendit: *Castumque datura cruorem stentibus ante aram stertit Iphigenia Minisiris.* Deo etenim verò à tempore Abel sacrificia offeri cœperunt: & à Moysè cepit sacrificium Agni Paschalis. Sacrificium autem, vel est *eruentum*, in quo scilicet, sanguis effunditur; vel *inercruentum*, in quo non effunditur sanguis. Et quidem aliquando offerebatur aliquid animatum, ut bos, & dicebatur *Hostia*, vel *Victima*: aliquando, quid inanimatum, & solidum offerebatur, & dicebatur *immolatio*; aliquando offerebatur quid inani-

animatum, & liquidum, ut vinum, & dicebatur *libamen*, quamvis sæpè prædictæ voces confundantur, & aliæ pro alijs usurpentur. Sacrificium in Lege veteri ratione formæ erat triplex. 1. quidem erat *Hostia pro peccato*, quæ partim Sacerdoti tribuebatur, & partim comburebatur, offerebaturque ad obtinendam peccatorum remissionem: quod si offerebatur sacrificium pro peccato Populi, vel specialiter pro peccato Sacerdotis, totum comburebatur: & hoc sacrificium conveniebat statui poenitentium in satisfactionem peccatorum. 2. erat *Hostia pacifica*: quæ offerebatur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute, & prosperitate offerentium; & quidem ex debito beneficij, vel accepti, vel accipiendi: & hoc convenit statui proficuum in impletionem mandatorum: & talis Hostia dividebatur in tres partes: una enim pars incendebatur ad honorem Dei, alia in usum Sacerdotum cedebat: tertia verò offerentibus applicabatur: ad significandum, quod salus hominis procedit à Deo, dirigentibus Ministris Dei, & cooperantibus ipsis hominibus, qui salvantur. 3. sacrificium *holocaustum* dicebatur, quasi *totum incensum*, in quo scilicet tota victima, pelle excepta, concremabatur, etæque sacrificium unice in honorem supernæ Majestatis Divinæ oblatum, & conveniebat statui perfectionis in impletionem conitorum, & idco totum comburebatur, ut sicut totum animal resolutum in vaporem, sursum ascendeat, ita etiam significaretur, totum hominem, & omnia, quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta, & ei esse offerenda. His omnibus successit in Lege Gratia unicum Missæ sacrificium, cujus cætera omnia figura erant. *Trid. sess. 22. de Sacrific. Missæ, c. 1. D. Thom. 1. 2. q. 102.* Ratione tamen finis quadruplex distinguitur sacrificium. 1. *Latreuticum*, quod purè ad Dei cultum. 2. *Eucharisticum*, quod specialiter in gratiarum actionem. 3. *Propitiatorium*, quod ad remissionem culpæ, & poenæ. 4. *impetratorium*, quod ad aliquid à Deo obtinendum obtinetur. Holocaustum erat pro *Latreutico*; Hostia pacifica pro *Eucharistico*, & *impetratorio*, Hostia tamen pro peccato, pro *Propitiatorio*. *D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3.* Missa verò est sacrificium *Latreuticum*, *Eucharisticum*, *impetratorium*, & *propitiatorium*, ac proinde omnibus Legis veteris sacrificijs superabundè æquivaler. *Trid. sess. 22. Can. 3.* Hinc effectus Missæ sunt quatuor. 1. est Dei complacentia: siquidem Christus Dominus, qui est principalis offerens, & victima oblatæ per hoc sacrificium Deo exhiber perfectissimum Latrice

cultum, in quo Deus complacentiam habet. 2. est gratiarum solutio pro Dei beneficijs: nam beneficia Dei recognoscuntur cum oblatione hujus Hostiæ pro debito gratiarum solvendo: Et respectu horum effectuum, hoc sacrificium causat simpliciter infinite in actu secundo: quia Deus infinite, & summè sibi complacet in hoc sacrificio, & bonum infinitum pro gratijs redditur. 3. est remissio peccatorum, quoad culpam, & poenam: diversimode tamen nam poenæ remittuntur inmediate per applicationem satisfactionum Christi: peccata verò, saltem mortalia, non remittuntur inmediate, sed solum mediate, quatenus Deus propter hoc sacrificium auxilia peccatoribus confert ad contritionem, & confessionem, ut hoc modo peccata deleantur. Sic *ex Trid. sess. 22. c. 2. & Can. 3. D. Thom. Sum. & alij. 4.* denique effectus est impetratio omnis generis beneficiorum, etiam temporalium, quatenus hæc ad æternam salutem conducunt. Respectu horum effectuum, hoc sacrificium causat actu simpliciter finite: quia Deus illud non acceptat, nisi ad remissiones, & impetrationes actu finitas. Hinc est, quod pro eodem fine multiplicentur sacrificia, & plus pluribus, quam uno obtineatur, & minus prole unum sacrificium pro pluribus, quam pro uno oblatum. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 45. Sum. & alij communiter.* Longiore de his texere disputationem ad Theologos pertinet. Christus enim Dominus, qui in Cruce semel fuit victima cruenta, sæpius in Missa victima incruenta offertur: inò & ipse est Minister principalis hujus sacrificij, *c. 1. de Sum. Trinit. ibi: Ipse Sacerdos est sacrificium Jesus Christus. Trid. sess. 22. de Sacrific. Missæ, c. 2.* Sacerdos verò est secundarius hujus sacrificij Minister, qui personam Christi representans, Deo hoc sacrificium offert, & est quasi Vicarius Ecclesiæ. Profecit hoc Missæ sacrificium est idem numero cum sacrificio Crucis quoad substantiam rei oblatæ, & principalem offerentem: quia utrobique idem est principalis offerens, & victima oblatæ, nempe Christus: differunt tamen quoad modum, tempus, locum, ritus, ceremonias, & alias circumstantias. *Trid. sess. 22. de Sacrific. Missæ, c. 2.* ait: *Una enim, eademque est Hostia: idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce oblat, sola offerendi ratione diversa.* Et licet in sacrificijs Legis Veteris non fomeretur caro animalium, in hoc tamen sacrificio caro Christi offertur: quia oportet, quod veritas figuram excedat. Et merito quidem caro humana offertur. 1. quia ex eo, quod